



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XIII. Beatam dicit Mariam Salomon; quia est Canticum illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

nihil habebat omnino præter ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat, & que creverat apud eum cum filiis ejus simul de pane illius comedens, & de calice illius bibens, & in sinu illius dormiens, eratq; illi sicut filia. Ubi ovem appellat Bethsabeen. Sed & Virgo ut ovis nata in stabulo. *Damasc. lib. 4. de fide 15. Ad Epiph. de laud. Deip. vocat ovem immaculatam quæ Agnum peperit. Damasc. Orat. 1. de Nativit. B. V. Agnæ ex qua pastor ovem induit veteris mortalitatis tunicis laceratis. Parvula est: Ecce ancilla. Unica, quia in donis singularis, Filia, quia amabilis. Non nisi de mensa Domini comedit, non aliunde nisi de calice Domini bibit, perpetuo in sinu Dei residet, iussa templo includi, voluit includi, iussa esse conjux, obedivit, iussa fugere in Ægyptum fugit: redire, rediit, in omnes Pastoris sui voluntates expedita. 3. Reg. 1. Adonias elevabatur dicens: Ego regnabo. fecitq; sibi currus & equites &c. Ingredita est itaque Bethsabee ad Regem in cubiculum, quæ ait. Domine mi tu jurasti per Dominum Deum tuum ancilla tuæ: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo, & ecce nunc Adonias regnat. Non unus videtur sibi certus de regno cœlesti, interim alter regnum invadit & præcludit. Accedit Virgo, Deæ clementiam orat, impetrat. De hoc fuit sollicita cum illi Luc. 1. responsum, Ne timeas Maria invenisti gratiam apud Deum. *Bernard. serm. 4. de Assumpt.* Hæc quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit, constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam cui dictum est. Ne timeas Maria invenisti enim gratiam, utique quam quærebas.*

83. Beatam dicit Mariam Salomon.

Quia est Canticum illius.

Doctor Angelicus serm. de Assumpt. dum considerat epistolam quæ ex Eccl. 24. legitur in die Virgineæ in cœlo Assumptionis, advertit quod sex arboribus exaltatio comparetur. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rose in Jericho, quasi oliva sparsa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquas in in plateis.* Quarum arborum nomine vult intelligi sex ordines Beatorum, quibus S. Virgo est beator. Cedro quidem Angelicam naturam designari propter sublimitatem & incorruptionem. Cypresso choram Patriarchalem propter odoratam conversationem. Palmam Apostolicum Collegium propter victoriam de mundi infidelitate. Rosam purpuratos martyrum exercitus propter fortitudinem invictam effusumque sanguinem. Oliva signa Confessorum virentem multitudinem propter misericordie ubertate.

tem. *Platano* globum Sanctarum Virginum propter gloriam castitatis. Idque non qualicumque cedro celsior, sed cedro Libani, non qualicumque cypresso sed de monte Sion, Palma in Cades. &c. ut in omnibus sanctorum clasisibus Princeps sit ac Regina. Imò toti horto omnium arborum S. Virginem comparat, dum Cant. 4. sic Sponsam illam inducit affatum. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus.* Hebraeus legit. *Paradisus conclusus, paradisus conclusus.* In quem locum *Rupertus*. Horto paradisi comparatur Virgo, eò quòd in ipsa varietas donorum & meritorum per ordines cæterorum sanctorum sparsa, continetur unita & collecta. Hortus conclusus, quia ut ait *Bruno de laud. Eccl.* in non solum Principi latronum, qui in Paradiso, Paradisos Dei Spirituales vastaverat, non patebat, undè nec poma nec aquam surripere potuit, sed etiam quia sanctitas eius oclusa humilitate latebat.

Præterea *Rupert.* in 4. Cant. Et uterus tuus Virgo nulli viro carnali commercio accessibilis, & mens tua nulli vitio spiritualis nequitiae fuit unquam penetrabilis. 3. Reg. 4. dicitur Salomon latitudinem cordis accepisse à Deo instar arenae maris. Arena maris complectitur mare. Salomon ea fuit quæ plus quam unius Regio impensis, plus quam unius hominis ætate & scientiâ egebat, ut est templi constructio, palatiorum, pax cum omnibus stabilita. At Virginis uterus incomprehensum comprehendit. Singula membra Virginis in hunc modum prædicat Salomon, & omnem laudem ad comparisonem reducit cum columba Cant. 2. *Veni Columba mea.* Cant. 4. *Oculi tui columbarum.* Cant. 2. postquam de columba locutus, addit: *Vox tua dulcis.* De pedibus Cant. 2. *Veni columba mea.* Columba Hebraeus *gazel*, à radice *gazel*, quod minimè alteri columbæ convenit, præter Virginem quæ rapuit cor Dei, Filium Patris. Inter alia magnifica opera memoratur Salomon fecisse palatia Heb. 11. *Abraham demoratus est in terra promissionis, tanquam in aliena in casulis habitando.* Casas hic habemus non domos. David Ps. 134. *Ne stiletis (Deus) quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres nostræ Civitatis nostræ sursum est, in qua sunt lapides pretiosi; at vero sapientia ædificavit sibi domum, Virgo scilicet S. erexit Palatium sibi & nobis.* *Ambr. epist. 29.* Aulam regis æterni appellat Virginem. *Greg. Neoc. orat. 3. de Assumpt. B. V.* Domicilium æquivalens cælo & terræ. *Damasc. orat. 1. de Nativ.* Palatium animatum Regi Angelorû. *Innocent. III. serm. de Annunc. Castellum.* Cant. 3. *Ferculum sibi fecit Salomon cujus ascensus erat purpureus, reclinatorium aureum, mediâ charitate constructum, sed Virgo tota charitate est vestita. Et ferculum Salomonis erat intus lignum, sed tota Virgo aurum.* *Bernardin. serm. de Assumpt.* Mens Virginis in ardore dilectio-

nis continuo tenebatur. *Anselm. de excell. Virg. cap. 5.* Pura Virginis sanctitas, & sanctissima puritas pijsimi pectoris ejus, omnem omnis creaturæ puritatem sanctitatemque transcendit.

14. Beatam dicit Virginem Josaphat.
Quia cum illa Dominus.

Josaphatum duæ res maximè reddunt illustrem; altera, quia probitatem Davidis non deseruit; altera, quia Deum secum habuit. 2. Paral. 17. *Fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David Patris sui primis.* Josaphat nomine suo exprimit Dominus Judex. Et quoniam Deum ut Judicem & Rebitorem attendebat, illo ipso factus est Judex aliorum. In primis vijs David ambulavit. *Lyra.* Per hoc Scriptura indicat quòd Josaphat imitatus sit David in bonis & non in malis. Primæ hominis viæ sunt bonæ, in justitia enim originali creatus homo. Primas vias Davidis Ecclesiasticus describit cap. 47. *Invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dextra illius tollere hominem, fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ: in omnibus opere dedit confessionem sancto & excelso, in verbo gloriæ: stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.* Josaphat non unum hominem sustulit, sed tres gentes validas 2. Paralip. 20. Stans in Domo Domini Josaphat longam fecit invocationem Dei patris sui David, seque inter Deum & populum accinctus fide & justitiâ, medium fecit & sequester. *Lyra* in hunc locum addit Josaphat orationi addidisse jejunium, & consecutum esse finem optatum. Sicut nec miles est aliquid sine armis, nec arma sine milite; sic nec oratio sine jejunio, nec jejunium sine oratione. Finis orationis fuit: quia hostes Josaphati Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, acti spiritu vertiginis in seipsos convertererunt arma, & se contrucidarunt, ex parte Josaphat nullo stringente ferrum.

Sed nec de vijs David primis recessit Virgo, quæ de se ipsa dicit Prov. 8. *In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicij.* Debellovit hostes Ecclesiæ Josaphat, & Virgo debellovit. Canitur illi. *Cunctas hæreses sola interemisti.* Pro Josaphati honore Deus certavit, & pro Virgineo certat. Scribit *Rodericus ab Hoved,* quòd legio dæmonum immissa sit à Deo in porcorum gregem, qui Urbem quandam invalit, acque infestavit, idcirco, quòd contra candorem famæ Virginæ maledicam strinxisset linguam. Sed & Virgo suos protegit. *Annus societatis literæ, 1621. anni referunt.* Zela Christos Imperatoris Abalsini frater de hostibus suis triumphavit, sed prius coram suo exercitu prælata Virginis imagine, & hæc prolatis. *Tua est, terrarum*